

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

LXXXII. Textum Biblicum pro Concione exponendum probe cognitum,
perspectumque habeat, eum privato studio non solùm in versionibus, sed
etiam in fontibus legat, cum Concordantiis Graecis vel Hebraicis ...

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

traordinariam sibi infumendum, quàm in eodem explicando. Inprimis commendandus est ille quarundam Ecclesiarum mos, quod singulis annis, imò singulis quadrantibus anni, sepositis aliis Scripturarum enarrationibus, *Catechesin Minorem B. Lutheri*, quæ *μυνοβελαν* specioso nomine jamdudum ornata fuit, & summam doctrinæ Christianæ mirâ brevitate & singulari artificio continet, pro concione explicant.

LXXXII.

Textum Biblicum pro Concione exponendum probe cognitum, perspectumque habeat, eum privato studio non solum in versionibus, sed etiam in fontibus legat, cum Concordantiis Græcis vel Hebraicis conferat, Ejus summam & partitionem sedulò expendat, atque ad eum Commentatores & Interpretes, Orthodoxos præsertim, adhibeat & accurato studio evolvat.

E 24

E. Hymois.

Cum textus Concionatori sit *Cynosura & meta*, ad quam omnem Orationis suæ cursum dirigat, *Fons*, ex quo argumenta hauriat, ac *basis*, cui tota tractatio innitatur. Rectè D. *Henricus Mullerus* Orat. Ecclesiast. cap. I. p. 8. *Textus*, inquit, *universa Concionis radix, basis & norma esse debet, sic ut concio fluat ex textu, tanquam principio, versetur circa textum, tanquam objectum, & respiciat textum, tanquam scopum*. Ideo Concionaturus I. textum, quem explicandum aliis suscipit, attentè inspiciat, & iterum atque iterum legat ac relegat. II. *Quia Scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo*, ut loquitur *Hilarius* contra *Constantium Augustum*, *Arianæ* factionis fautorem, accuratum & diligens examen singularum vocū ac phrasium instituat, earumq; significata probe expendat, ut verum ac genuinum textus sensum & scopum, quo collineat, assequatur. *Vocabulis enim res designantur, earumque notæ sunt, & ignorantia vocum, atque sermonis trahit secum ignorantiam rerum, quæ non solum errores simplices, verum etiam perniciosas hæreses parit*. III. *Sensum textui non inferat ex præconceptis opinionibus, sed ex eo eruat, Sensum enim oportet esse intrinsecum, h. e.*

li 4

non

non aliunde illatum, sed ipsis scripturis quasi innatum; *Optimus lector est*, inquit jam dictus Hilarius Lib. I. de Trinit. pag. 9. Edit. Froben. *qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praeumpserit intelligendum. Vatum est, non lectorum, mentem auctori affingere ex sua mente*, ait Lipsius in Praefat. Politic. pag. 20. IV. Quia variant haud raro Versiones, nec Sententiam Spiritus S. satis & sufficienter exprimunt, Fontes adeat Concionator, seu lingvas, quibus Spiritus S. hominibus loquutus est, consulat, ac Emphasin vocabulorum Graecorum & Hebraeorum, si qua inest, beneficio Concordantiarum solerter eruat. Benè Dn. D. Gœbelius in Methodol. Homil. c. XIII. tit. 2. §. 36. *In Emphases alicujus vocabuli investigatione non est subsistendum circa Indices Biblicos Personibus adaptatos, sed ipsi consulendi Fontes & Hebraica, nec non Graece Concordantiae evolvenda & conferenda. Sanè omnes versiones vernaculae ad primigeniā linguam & textum originale, tanquam rivuli ad fontem revocandae sunt, non utiq; ut Hebraeis vel Graecis verbis plebis aures obrundet Concionator, sed ut genuinū sensum inde educat.*
V. Cum

V. Cum rerum in textu contentarum cognitio
 sapius ex sedulâ *contextus*, sive illorum, quæ eum
 ab utroque latere stipant, h. e. *antecedentium &*
consequentium collatione & consideratione de-
 pendeat, accuratè perpendat Verbi Minister,
 quæ sit Textus pro concione explicandi *συνά-*
φεια καὶ ὁμώπεια, quid proximè antecedit, quid
 sequatur. Neque verò saltem unus atque alter
 versiculus, sed interdum plures imò integrum
 sæpè caput, vel plura etiam capita perlegenda
 sunt. Quemadmodum apud Ictos *Turpe est, de*
lege judicare, totâ lege non inspectâ, sic de dicti ali-
 cuius genuino sensu non potest judicari, nisi
 perlecto, perspectoque accuratè integro con-
 textu. *Prudentem Lectorem moneo*, inquit, *Hiero-*
nymus ad cap. 25. Matth. ut consideret priora, media
& sequentia & nectat sibi universa, quæ scripta sunt.
Et Hilarius lib. IX. de Trinit. Dictorum
intelligentia aut ex consequentibus ex-
pectetur. Idem monet *Augustinus de*
Verbis Domini Serm. 2. inquit; Legat
inferiora & superiora & inveniet sensû.
 De contextus evolutione, sive antecedentiû &
 consequentiû cû textu collatione Hebræi Vete-
 res dixerunt; allegante *D. Borsacco in brevi In-*
trod. ad Artē Conc. p. 40. Qui nō animadver-
tit.

zit, quid ante & post in lege scriptum sit, ille per-
vertit verba omnipotentis Dei. VI. Serio quo-
que attendat Concionator circumstantias per-
sonarum, locorum & temporum, ut sciat, quis
in textu loquatur, & cui, & quo animo, sine
tempore, loco &c. Quæ circumstantiæ hoc
versu comprehensæ sunt;

*Quis? Scopus; Impellens; Sedes, Tem-
pusque, Locusque*

*Et modus: Hæc septem Scripturæ at-
tendito Lector.*

*Augustinus Lib. III. de Doct. Christi, cap. IV. in-
quit; Rarissimè & difficillimè inveniri potest
ambiguitas in propriis verbis, quantum ad li-
bros divinarum Scripturarum spectat, quæ
non aut circumstantia ipsa sermonis, quæ cogno-
scitur Scriptorum intentio, aut interpretum
collatio, aut precedentis lingvæ solvat in spec-
tio. VII. Respiciat prudenter ad loca similia. τὰ γὰρ
ὁμοία, φανερώτερα. Ad vim verborum,
phrasiumque pernoscentiam, adeoque ad ve-
ram Scripturæ intelligentiam plurimorū con-
fert aliorum, præsertim cognatorum locorum
collatio, qui vel res easdem, vel simul eadem
verba habent. Tertullianus inquit adversus
Prax. Oportet secundum plura intelligi pancio-
ra. Bene Lutherus Tom. III. Jen. L. at. fol. 79. b.
in cap.*

in cap. I. Deuteronom. sic habet, ait, *universa Scriptura, ut collatis undiq. locis velis seipsam interpretari, & se sola magistra intelligi. Estque omnium iustissimus modus scrutandi sensum Scripturae, si ex locorum collatione & observatione ad illum contendas.* VIII. Adhibeat in elaboratione dicti alicujus Bibliici Commentarios, & expositiones antiquorum & recentiorum, praesertim Orthodoxorum Interpretum, & ex illis optima & textui convenientissima seligat, Ubi autem inter Doctores opinionum varietas est, eam sententiam amplectatur, quae communior & tutior videtur. IX. Textus, extraordinarius praesertim & arbitrarius pro concione exponendus, non sit nimis *brevis*, nec nimis *prolixus*. Non nimis brevis; Textus enim una vel duabus tantum vocibus constantes vix habent, nisi aliunde derivatam fecunditatem ipsi steriles & exangues. Sic ineptire quondam placuit Concionatori cuidam Augustano, qui explicaturus nonnullis Concionibus illud praeceptum Domini, Deuter. VI. 5. *Du sollt den Herrn/deinen Gott/lieb haben* &c. in prima concione non nisi voculam *du* loco textus praelegit. Licet autem quidam interdum brevitate textus ingenium apud Auditores ostentare velle videantur, quandoque tamen etiam pau-

pau-

paucissima verba copiosa in continent dicendi materiam & vim habeant maximam, v. g. illa: *Ecce homo; Sitio; consummatum est*, &c. Nec nimis prolixus sit textus, ne concionis modum excedat, quo mirius tractari integer possit. Imò longior textus prægravat sæpe atq; suffocat abundantia rerum arctam orationem. Sit autem ita comparatus, ut auditorum memoria comprehendere, & unà vel duab; concionibus absolvi possit. Nisi sit in textu illo singularis aliqua gratia, aut quædam Historia Biblica, quæ legatur, quamvis non integra explicetur, aut unà a' terave concione tractetur. X. Textum seorsim explicandum Concionator non discerpatur, sed excerpatur, h. e. verba illa, in quibus questio & thema cum argumentis explicantibus, probantibus & illustrantibus, subiectum cum prædicatis, præmissæ cum conclusionem coherent, non separet, sed conjunctim summat. XI. Textus illos probè infigat memoriæ Præco Fidei, cum quia, uti dictum, basis sunt & fundamentum concionum, tum ut sine hæsitacione inter explicandum progredi possit, nec librum inspicere cogatur. XII. Intra cancellos textus se contineat, illiusque ductum sequatur, nec divagetur, aut à textu aliena afferat. Multi simul cum libro ipsum textum seponunt, adeo ut

ut ne verbo quidem illius mentionem faciant
 ac ita fundamento relicto, in aere quasi navi-
 gantes ab unâ materia ad aliam temere dela-
 buntur. Olim quidem Patres nonnulli sine
 ullo proposito textu, de aliquo loco communi
 v. g. de Deo, de Christo, de fide, de charitate,
 de vitâ æternâ &c. suas instituebant *opiniões*, in-
 terdû quoq; textus prælegebatur, sed post ha-
 bitâ lectione (i. e. textu prælecto,) sermones
 suos alio dirigebant, & tempori vel loco ac-
 commodabant, præsertim si tempestas orta,
 vel sedata esset, vel quiddam singulare aut ad-
 miratione dignum accidisset. Familiare hoc
 est Leoni M. qui ad prælectû textû Homilias su-
 as applicare non solet. Illustre hujus rei exem-
 plum habemus etiam in Augustino, qui refert
 Lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. inter alia mira-
 cula, quæ ad memoriam S. Stephani in urbe
 Hippone facta sunt, etiam hoc memoratu di-
 gnum; Juvenis quidam, dictus Paulus de Cæ-
 sareâ Cappadociæ, quem Deus ob injuriam
 Matri illatam horribili tremore omnium
 membrorum puniverat, venit Hipponem, ibi-
 que quotidie templum, & in templo memori-
 am Martyris Stephani frequentavit, ipso verò
 Paschatos die una cum aliis templum ingressus
 est, & ad martyrium Stephani confugiens, can-
 cellos,

cellos, qui illud cingebant, orans tenet: Inter orandum subito prostrernitur & dormienti similis jacer, non tamen tremit. s. Populus rei novitate perculsus accurrit, juvenis verò ille sine ullo membrorum tremore surgit, pristinae valetudini restitutus. Res hæc ad Augustinum, ad concionandum processurum deferretur, qui statim legi fecit Scripturam. Si ipse verò concionem tempori & lætitiæ ex miraculo oborta congruam habuit. Sic & in Tomo I. Jenensi German. Lutheri, nec non Postillis Ecclesiasticis ac Domesticiis sermones aliquot habentur, quibus nulli præmissi, nec in specie explicati textus. Dicuntur hæc Conciones *Libera* & contradistinguntur *Textualibus*. Verum hæc nimis libera & arbitraria concionandi ratio, (quando scilicet textus vel planè non legitur, vel prælegitur quidam, sed in tractatione thematic non attenditur & negligitur) dudum ab Ecclesiis nostris exulare iussa est. Hinc monet Dn. D. Olearius Orator. Sac. Lib. I. cap. I. pag. 2. *Textum sacrum non tantum esse legendum, sed totam concionem ex eo, tanquam ex fonte deducendam, & ad eundem referendam esse. Liberum enim illud dicendi genus Ambrosio, Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo & aliis Patribus usitatum, hodie imitari temere nequaquam consultum esse.* Con-

Con-

Confer *D. Hildebrandum* Dissert. de Concione. Veterum cap. III. §. 16. XIII. In quolibet textu explicando inquirat Orator *Sacerstatum*, seu principalem questionem & propositionem, quæ summam totius *περίληψιν* contineat, & ad quam ceterum scopum, universa reliqua colligantur. Nullus enim textus Biblicus recte intelligi, aut dextre explicari potest, nisi constituta aliqua propositione principali, ad quam arguments omnia & partes sint directæ. Bene Lutherus in Colloq. Conviv. fol. 184. *Wer da wil mit Frucht und Nutz lehren und trösten, der sol auf die Hauptsache sehen/davon er fürnemlich sagen wil* &c. XIV. Operam det & sciat Concionator, non solum quomodo germanus propositi textus sensus eruendus, sed etiam quomodo ad auditorum suorum usum exponendus, & ad doctrinæ, informationis, exhortationis & consolationis fructum applicandus sit. XV. Denique, Textum ipsum resolvat 1. *Grammaticè*, h. e. perpendat singula vocabula & illorum nativam significationem investiget, phrasas ponderet & cum parallelis conferat. 2. *Logicè*, h. e. de singularem vocum & periodorum connexionem aut disjunctionem judicet, principale thema eruat, subjectum & prædicatum examinet &c. 3. *Rhetoricè*, h. e. in-

qvi-

quirat, ad quod genus causarum textus pertineat, argumenta, quibus principale thema probetur, consideret, tropos & figuras, si quae insunt, ostendat, & omnia plenius deducat & explanet. Neque verò saltem ad proprietatem & improprietatem sermonis, seu tropos in Scripturis divinis attendendum est Praconi: (verba sunt M. Nicolai Rebhan Concion. cap. III. monit. IX. pag. 147.) Sed & ad lumina reliqua, quae Schemata, seu Figuras Rhetores vocant, quarum in illis uberrima seges est. Nulli Rhetores huius mundi habuerunt unquam tot ornamenta, figuras, colores & formas, ac rationes dicendi, quot usus est Spiritus S. in una eademque re modis quampurimis tractanda; seu, ut Lutherus noster loquitur, Tom. III. Latin. Jen. in Ps. XLV. fol. 444. b. Fidei doctrina ita diligenter à Spiritu S. nobis descripta & depicta est omni genere colorum, ut herbarum & florum non sit tanta varietas, quanta est in Scripturis. Schemata inquam illa Concionatori neutiquam negligenda, sed notanda & ad animum probe revocanda sunt. Quamvis enim significationes vocabulorum non mutant, sicut Tropi; Tamen Spiritus S. mentem interdum illustrant, distorum sensum intendunt, augent & nonnihil confirmant, quod omnino observandum ei probe, qui Scripturam cum intelligere, tum explicare cupit. Hæc ille. LXXXIII.